

nominis, & potens. Si autem fuerit occidentalis, aut in locis contrarijs Hayz sui, id est, suæ potentia, natus erit miser & ignotus, At si gubernator filij conuenientiam habuerit cum ascendente, & parte fortunæ, usq; dum ducet uxorem, natus remanebit in dilectione parentum, eorumq; hæres efficietur. Si autem non habuerint mutuam conuenientiam prædicta, litigabit filius cum parentibus, & eorum odium incurret, & eos male tractabit, nec in hæreditate succedet.

Si datores filiorum in figura conuenientes associabuntur adinuicem, fratres se mutuo diligunt & honorabunt. Sed si opposito uel quadrato radio datores filiorum se mutuo aspexerint, natus fratribus aduersitatis illator est & autor.

Qui uero curiosior & certior in talibus fieri uelit, inueniat gubernatorem filiorum, & ad instar eius duodecim domicilia constituat, extrahendo Hylech, Almutenq; sic enim in esse filiorum cuncta particularia, quæ per natiuitatem sciri possunt, generaliter poterit iudicare. Hæc Ptolemæus.

Aliorum sententiæ & aphorismi.

Pro liberis considera	}	Quintam domum,
		Dominum eius,
		Decimam domum,
		Undecimam,
		Venerem consignificatricem quintæ.
		Almuten significatorum filiorum.
		Partem filiorum.
		Dominum eius.
		Partem futurorum,
		Partem stabilitatis,
Primum dominum triplicitatis quintæ domus.		
Tertium dominum triplicitatis undecimæ domus.		
Tertium dominum triplicitatis septimæ domus.		

Almuten si- gnificatorū filiorum su- mitur à	}	Cupide quintæ domus	} Almuten super hæc, Si concordat cum domino ascendentis, bonum est, & dat suum significatū nato, etiam si fuerit dominus infortunatus. Qui si fuerit in signo multorum filiorum, natus habebit multos filios &c.
		Domino eius	
		Consignificatrice Venere	
		Domino eius	
		Parte filiorum	
		Domino eius	
Primo domino triplicitatis quintæ			

Vel qui fuerit ex his dignior, si fuerit in signo multorum filiorum, liber à malis, & sit ascendens ex angulis, uel ex succedentibus, significat multitudinem filiorum. At si fuerit in signis paucos filios significantibus impeditus à malis, & Iupiter fuerit combustus, & Venus impedita, sterilitatem significat.

Si signum filiorum, signum ipsius Almuten, signum ascendentis, fuerint multorum filiorum, natus habebit multos filios.

Sol aspiciens partem fortunæ, multos pollicetur filios.

Domini triplicitatis signi Iouis, in aptis locis, significant multitudinem filiorum, & ex his gaudium.

Si boni planetæ fuerint in quinta, aspicientes medium cœli, liberi ab impedimentis